

[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, likely Gothic or similar, covering the majority of the page. The text is arranged in several columns and includes some red initials and underlines.]

Communicata
in decem



M-s. 1297

an f.

R

2197.6

F. A. v. Maxß
1831 oho

18
ELEGIA DE
RECENTIBVS PRO
DIGIIS

Scripta

A IOHANNE SCHELHAMERO
Staffelsteinensi ad Leonhardum Straubium
Noribergensem.

Additum est & Epitaphium Doctoris Forsteri
Græcè Scriptum.



VVITTEBERGAE
EXCVDEBAT IOHANNES
CRATO.
ANNO M. D. LVII.

ELEGIA DE
REGENTIBUS PRO
DIGIIS

A JOHANNI SCHELHAMERO
Scollicentis ad Leopoldum Strupium
Nobilitatem

Admiratione et gratulatione Doctoris
suis Gratulationibus

WOLFFENBUTTEL
EXCUSDIT JOHANNES
GRATIA
ANNUM MDCXVII



LEONARDO STRAVBIO, FI
LIO CLARISSIMI VIRI FRANCISCI STRAV
bij ciuis Noribergensis Iohannes
Schelhamer. S. P. D

Tu Leonarde meos inter numerande Sodales,
Quos mihi sincero pectore iunxit amor.
Scis, q̄z prætereat subito ætas lubrica uitæ,
Euocat ex uiuis hora uel una dies.
Vix tamen inuenies multis è millibus unum,
Hæc qui perpendat, mentibus error inest.
Magna iuuentuti malè pars elabitur æui,
Maior non proprium, maxima agendo nihil.
Quid facimus, sacras cur sic contemnimus artes,
Per quas Maiestas conspicienda Dei est.
Non frustra diuina homini patefacta uoluntas,
Vult sese agnosci, uult sua dona coli.
Ergo piè facis & sanctè, cum rebus honestis
Intendas animum Pieridasq; colas.
Perge modo, aspiret studijs fortuna benigna,
Res bene succedunt auxiliante Deo.
Nec tibi præcipuus quæ munera mittit amicus
Respue, sed læta suscipe fronte: VALE.



ELEGIA DE PRO
DIGIIS.

VLtima uenerunt deliri tempora mundi,
De quibus hæc Christus uaticinatus ait:
Ecce teget faciem cæca caligine Phæbus,
Nec lucem solito Cynthia more dabit.
Totius urgebit populos afflictio terræ,
Tristis erit luctus, tristis ubiq; dolor.
Æolus horrifono miscebit murmure pontum,
Motaq; uentosis fluctibus unda fremet.
Sæuiet immanis Mauors crudeliter, urbes
Inter se ruptis legibus arma ferent.
Doctores surgent hominum mandata docentes,
Qui fallent animos simplicitate rudes.
Pondere concusso magnus nutabit Olympus,
Subtus & ingenti terra fragore tremet.
Hæc ubi turbati fieri portenta uidetis,
Orantes uestras tollite ad astra manus.
Instat enim iustis preciosa redemptio, Christus
Regna dabit populo non peritura suo.
Obseruate, nouas cum frondes explicat arbos,
Non procul æstatis constat abesse dies.
Sic his admoniti signis, scitote, quod instent
Regna Dei, Turcis tristia, læta pijs.
Inspice Fastorum libros monumenta uetusta,
Non tantum uerbis est adhibenda fides.

Plura

Plura simul, si cuncta notas, conspecta fuisse
Non alio quam nunc tempore signa leges.
Sæpe faces inter nubes arsere micantes,
Exeruit diras sæpe Cometa comas.
Non rarò in pluuijs guttæ cecidère cruentæ,
Immaduit multis sanguine terra locis.
Audiit in medio nuper Germania cœlo
Castrorum sonitus terribilesq; tubas.
Heu quoties uentus tempestatesq; sonoræ
Euertère domos altaq; tecta ducum.
In media bruma strepuère tonitrua cœlo,
Culmina templorum fulmine tacta Iouis.
Iam quoq; tres claro conspeximus æthere Soles,
Cum iubar extuleras lucide Phæbe tuum.
Hæc sunt iudicij signa haud incerta futuri,
Credite, mox aderit filius ille Dei.
Dedita delicijs hominum pars maxima uiuit,
Nec diuina uidet quanta sit ira Dei.
Impius illudens, inquit, quid nam astra timerem?
Nil possunt nobis significare mali.
An nunq; tenebræ radiantia lumina Solis
Occuluère? times ne ruat axe polus?
Quid facitis miseri, non sic illudere tutum,
Contemptum sequitur mox grauis ira Dei.
Bella mouens quondam patriæ nocitura Pericles
Cum uellet uentis pandere uela ratis:

A ij Incipit

Incipit en subitò radios abscondere Titan,
Eripuit terris umbra tremenda diem.
Obstupuit rector nauis, pavor occupat artus
Frigidus, hirsutæ diriguere comæ.
Cæruleum timuit Pontum sulcare, Pericles
Increpat, & tales edidit ore sonos:
Stulte quid expectas, cursū quid puppe moraris?
Et simul illius lumina ueste tegit,
Ne uideat tenebras oculis, mortalia cæce
Proh superi quantum pectora noctis habent.
Splendor ubi redijt, uestes amouit, & inquit,
Dic, Sol, quem metuis, quid nocuisse potest?
Accepisse nihil respondet nauita damni,
Cum uelo facies uestis operta fuit.
Sic ait, & firma statuas ratione Pericles,
Nil etiam nobis astra notare mali.
Nesciuit stolidus, quod & exitus ipse probauit,
Exitium patriæ significare suæ.
Vndiq; concurrat ciuili Græcia bello,
Conferta strages edita magna manu,
Cecropidūm fractæ uires, & mænia uictor
Vrbis militibus diripienda dedit.
Disce hoc exemplo melius sentire, nec illis
Ausculata, Satanæ quos malus error agit.
Sidera spectari prohibent, nihil illa minari,
Sed temerè æterna condita mente docent.

Impie

Impie Iude Deū, tamen hinc cum stabis ad Orcū,
In quod sparlisti scommata, numen erit.
Quid sunt Eclipses Domini nisi signa furoris,
Qui monet à factis abstinuisse malis.
Si uultis uitare graues, resipiscite, poenas,
Asperior tardè quæ uenit ira Dei est.
Si mala portendunt, quis uires addidit astris?
Omnia qui forti sub pede Christus habet.
Non Mundus rectore caret, regnare Tonantem
Indicat æthereæ nobile molis opus.
Sæpe quis aspiciens oculis Erymantidos Vrsæ
Custodem noctu talia uerba iacit:
Quam nitidis sunt sculpta poli palatia signis?
Non temerè hoc pulchrū cōdidit autor opus.
Quis sapiens faber esse potest? qui talia pinxit?
Omnipotens uerè qui facit ista manus.
Discite mortales summum decus esse, Tonantis
Nosse uoluntatem, quæ iubet, ille probat.
Vult obseruari memori miracula mente,
Signa per hæc iræ dat manifesta suæ.
Cum Dux Saxonicae Fridericus gloria gentis
Victus, & immiti captus ab hoste fuit,
Solis pallentes assumpsit imago colores,
Sanguine sudantes æquore tinxit equos.
Inde statim cædes hominum comitata piorum,
Qui certè ferro non meruere mori.

Indixit

Indixit Synodum Romanus Papa Tridenti,
Conatus coelo præcipitare Deum.
Ne dubita, regnis facies horrenda Cometæ,
Quem modò uidistis, tristia fata feret.
Aut tumidos inuadet atrox discordia reges,
Aut fera plebs mota seditione furet,
Semper enim tristes præcedere signa ruinas
Ordinat imperij prodigiosa Deus.
Cum tua Germani uicissent agmina VAre,
Vibrauit crines stella comata suos.
Excidium Solymis dirum portenderat astrum.
Constitit in templi culmine flamma facis.
Vidimus undantis uastasse prioribus annis
Flumina Pegnesi Noridos urbis agros:
Cum stabulis armenta tulit, destruxit & ædes,
Certa secuturi signa fuere mali.
Mauricij quoq; castra ducis clamoribus altis
Impleuisse lupos, nuncia fama refert.
Ipse suis dixit cædes instare cruentas,
Hæc monuit princeps, uerba secuta fides.
Concurrere acies, multos mors abstulit atra,
Tres ibi præstantes occubuere duces,
Desine iudicij contemnere signa futuri,
Auguror extremum non procul esse diem.
Nam ueluti fummis quercus in montibus arbor
Concutit àërias cæsa bipenne comas.

Nunc

Nunc huc, nunc illuc concusso uertice nutat,
Mox cadit, & subito terra fragore tremit.
Sic moles Mundi lapsam quassata minatur,
Iam iam ponderibus corruit ira suis.
Et Deus aduersus peccata stendat ut iram,
Securis animis incutiatq; metum,
Præmittit portenta, pijs solatia luctus,
Væ tibi quas pœnas impia turba dabis?
Quisquis es, extinguas iniusta incendia cordis,
Et Christum uera cum pietate colas.
Armaq; iusticiæ puris superindue membris,
Ne uenias nudus iudicis ante thronum.
Fallor, an angelico concentu clanguit æther,
Aspicite, aspicite, & fundite quisq; preces.
Conditor ô rerum sapiens, dominator & orbis,
Qui sine fine manes principioq; cares?
Mens æterna, potens, pater ô dulcissime rerum,
Extra quem miseris non uenit ulla salus:
Ad tua spiramus sublatis numina dextris,
Exaudi gemitus uotaq; nostra Deus.
Punimur meritò, iustam tibi mouimus iram,
Nos tanti sceleris pœnitet esse reos.
A nobis ne uerte tuum iustissime uultum,
Mitis ades, leni tristia fata mali.
Ne patiare diu grassari impunè Tyrannos,
Aduersus Christum qui fera bella mouent.

B

Regibus

Regibus iniiciens frenos compesce furores,
Turcarum rabiem Pontificumq; preme,
Tolle similtates, rixas, mala iurgia, lites,
Unanimi coetum foedere iunge tuum.
Te pariter precor o fili, qui patris imago es
Et λόγος, auxilio, ne remorare, ueni.
Errat ut in campo Solis sine luce locorum
Ignarus faciens nocte uiator iter,
Sæpe graues gemitus imo de pectore ducit,
Sed ueniente capit gaudia læta die:
Sic huius uitæmersi in caligine Sancti
Exoptant faciem Christe uidere tuam,
Afficimur desiderio Stellantis Olympi,
Præcipuè aduentus Christe benigne tui,
O Sol iusticiæ te nos exposcimus omnes,
Exoriens uultus exere dulce iubar.
Eripe quæso tuos lachrimarum ex ualle ministros
Æterno tradens sceptrata ferenda patri,

τέλος νέμει λόγος.


EPITAPHIVM REVERENDI

VIRI D. DOCTORIS THEOLOGICÆ IOHANNIS
Forsteri Academiae VVitebergensis publici
Professoris, qui decessit die 8.
Decembris.

Χριστὸν ζωὸς ἔην, ἔμε σήμερον εἴλετο μοῖρα,
οὐκ ἀγαθῶν θάνατον φεΐδεται ἀλλὰ κακῶν.
οὐδεὶς εὐδαίμων αἰεὶ, βροτὸν ἄνδρα τελευτῆν
καὶ βίῳτοιο σκοπῆν, πᾶς βίος ἐστὶ βραχύς.
νυνὶ θανῶν κατὰκαμᾶ, ὅμως ἐμοὶ ἐλπίς ἰδέσθαι
ἀκάματον δόξης αἰδίῳιο χαρᾶν.
οἶδα γὰρ, ὅτι ζῆν σωτῆρ ἐμὸς αἰθερι ναίω
υἱὸς μετρογενῆς ἀθανάτοιο πάτρῳ.
ἐκ γαίης ζωὸς νοσήσω ἐν ἔσχάτῃ ὥρῃ,
ἐμπαλι σαρκὸς ἐμῆς δέρματα ἀμφιέσω.
καλλιὸν ἢ πρὶν ἔχωρ εἶδῳ ἡοῦ κόσμου ἀδρήσω
ὄμμασι λυξώτην αὐτὸς ἐμεῖο θεόν.
εἰς αὐτὸ χεῖρας δ' ἐμὸν νῦν πνεῦμα τέθηκα,
πιστεύω χριστῷ ὀλβίῳ ἐν θανάτῳ.
ὡσπερ ὀδκγὸς ἀνήρ ἀφ' ἀμάρτων νυκτὶ μελαίνῃ
γῆδετα εἰσορόωρ ἡελίοιο φαός.
οὕτως εὐσέβεις ποδέσσιρ τῶτο φανῆναι,
ἔμαρ, ὅταν χριστὸν βλέψομεν ἐρχόμενον.

Autore Iohanne Schel-
hamero.





153028

AB: 153028

ULB Halle

3


003 486 044



86

[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, possibly Gothic or Carolingian minuscule. The text is arranged in columns and includes several large, decorated initials in red ink. Some lines are underlined with red ink.]





ELEGIA DE
RECENTIBVS PRO
DIGIIS

Scripta
A IOHANNE SCHELHAMERO
Staffelsteinensi ad Leonhardum Straubium
Noribergensem.

Additum est & Epitaphium Doctoris Forsteri
Græcè Scriptum.



VVITTEBERGAE
EXCVDEBAT IOHANNES
CRATO.
ANNO M. D. LVII.

